hoc minus securus sum dum cogito saepe, quantis periculorũ undis circumfluat
isthac patria ~~vestra~~ moribus accommodata vita vestra. Hinc ludi, fastus,
luxus, lascivia tractat. Hinc enses laqueiq et dira incendia terrent. Illinc impura
magnorum simulatio tentat. Illinc sacrilegi maculant contagia cultus. Parte alia
vitium vel rerum inscitia ducit, vel mentis levitas, rebus secura ~~in~~ secundis. Vel
nimis inclinata imitandis turpibus aetas. Praeterea occultos hamos et ahenea ~~in~~
mille quae nunq effugiat cordatus vincula Proteus. Crucior autem (ut soleo Epi-
metheus esse) non me quaesisse diligentius cum te aliquot horulis mihi fruendum
dedisses, qua spe aut quo consilio constitueris in patria commorari, quae meta sit
futura tuorum studiorũ, quis fructus exhausti laboris? Dicet quis quid ista
tu curas? itane πολυπραγμονεῖς? alienus non sum ut est apud Comicum
solicitat me quum omnium bonorum Juvenum periculosus vitae cursus tum eorũ
maxime quibus me scholastici laboris societas non minus arcte devinxit quã
si nos sanguinis necessitudo copulasset. Rescribe de ijs rebus ad me aliquid
et meis semper instantibus negocijs imputa quod neq prolixiores neq crebrio-
res a me recepis epistolas. Vale. [Datae Calend. Julii 1560]

Pax Christi. (Danieli a Buren filio Cons. Clarissimi) [v. Büren]

Nr. 67)

[= Mscr. a. 11 = Nr. 207]

Laudatissime adolescens inter eos qui Bremae mutuũ me amarũt, semper
merito te imprimis magni feci, quum propter singularem Patris tui erga
me benevolentiam: tum propter ingenij tui liberalissimum candorem. Itaq et-
si obruor negociorum undis, homo non admodum idoneus ad agendũ:
non potui tamen me ipse ingrati absolvere, nisi qualemcunq vel memoris ani-
mi significationem darem. Et quia deerat quod ad te prolixe scriberem,
persuasi mihimet ipsi, non inepte me facturum, si non illud quidem eruditũ ‡
sed tamen (ni fallor) pium carmen animae a me causa scriptum, commu-
nicarem. Solemus eorum quos diligimus etiam nugis delectari, et eam in ‡ terming
te perspexi pietatem, et modestiam, ut eius quem ad tempus Magistri loco
habueris, quamlibet minutula pietatis exercitia, benigno animo sis amplexurus
non ad legendum modo sed etiam ad imitandum. Natura tibi ~~deo~~ paternũ
hoc est elegantissimum ingenium dedit, ad quod deinde liberalis doctrina et
diligens usus accessit, instare debes porro tibi ipsi, ut quae cum magna lau-
de hactenus parta sunt, non minore gloria tuearis. Atq id quidem eo ma-
gis decet obnixe conari quod tibi tui Patris viri praestantissimi difficilem,
et plenam certaminum gubernationem cernenti, non potest obscurũ esse quã
sit imprimis necesse non modo ad Reipub. salutem, sed etiam Ecclesiae eos
qui gubernaculis destinantur, praeter excellentem virtutem ijs quoq artibus
et literis instructos accedere, quibus et bene rei gerendae prudentia constat,
et ipsa recte facta mirifice illustrantur. Hortatu meo non eges, nec erat is
huius instituti. Sed inest in animo quoddam incredibile studium vestrae fa-
miliae, quam intelligo isti Reipub. salutarem quae mihi iam septem annis

Cpro-

profligato homini ac misero) liberale et honestam hoſpitiū indulſit. neq dubitem ſperare futurum multis ut annis quam beatiſſima floreat Brema, ſi tui ſimilium adoleſcentum tanq publici theſauri ea ratio habeatur, qua non modo ad parandam ſed magis etiam ad conſeruandam utilium rerū atq artium cognitionem quam maxime ſit accommodata. Quamobrem

X Strennuus eſto ut te quoq poſtera praedicet aetas,
Urge opus egregiē coeptum nec lenta remitte
Brachia dum valida ponas faſtigia dextra.
Huc patriae certantis amor, clariq parentis,
Huc calcar tibi ſuggerat acre domeſtica Virtus.
Nam dum clavigera memorabitur inclyta Brema
Gloria: Auiq Patriſq tui benefacta manebūt,
Horum te haeredem imprimis decet eſſe honorū,
Ne ſua ſit Patriae quondam expectatio fraudi,
Percenſenti antiqua Buranae munera gentis.

Sed ego bis ineptus ſum et qui ex amphora urceū facio. et quia longiſſime ab epiſtolae meae ſcopo aberro. Clariſſimum virum Patrem tuū Danielem a Buren ſtudioſiſſimū Reipub. Conſulem. quaeſo te ut ex me reuerenter ſalutes. Vale adoleſcens perchare. Duiſburgi Idibus July

1560.

D. andreo berio francoforti [Bacio]

Salus per Jeſum CHRISTUM tibi venerande frater et tuae Coniugi et toti familiae atq Eccleſiae.

Nr. 68)

[=Mscr. a. 11: Nr. 208]

Quum ſis ut ſcribis & ſenex et arthriticus vehementer miror tam ſuaves tamq gratioſas epiſtolas tua manu deſcribi poſſe. et ſane vero vultu erubeſco nihil incredibili tuo in me affectu dignum reſcripturus. Sed quoniam in ea re meum officium tantopere flagitas, ne tam dulci amico ferreus videar non poſſum aut pudorem officio anteuertere, aut per inſcitiam tanto tuo deſiderio deeſſe. Carmen illud precor quod nuper e manibus me non autore proſilyt ſi mancipi poſſem, intenderer fortaſſe magis ad emancipandum, animaduerſa ipſius deformitate, nunc quum neſciam quo cultu quove neglectu proceſſerit, neq manu mittere fugitiuum mancipium geſtio, nec intro in ſuas latebras reuocare poſſum. Imo vero ne dum corrigere ſtudeo alienum peccatum, deprauem magis, diſſimulandam potius iniuriam arbitror, quā vindicandam. Neq tamen reſpuo veſtrum conſilium, quod vel hoc imprimis nomine complecti debeo, quod ubi intelligam etiam in nugis de amici hominis fama laborare. Sed haec alias. Eucharisticon nunc etiam minus mihi placet quam cum adhuc a matre rideret, nec alia lege ad te venit, quam ut multis punctis confixum formidare diſcat hominum conſpectum. Umbratile quippe et ſubterraneum eſt, ſi quid excudere meditor nec lucem ferre nedum aetatem poteſt. Sed hem ineptias. Res hic

nostrae